

- A** consideremus, rursus ab iisdem ordientes. Apparet enim hoc nobis euidenter, quod Sophistæ maxime student sibi reddere incredibile, nullum esse iudicium naturæ. Etenim circinus pingit circulum, cubitus autem discernit longitudinem, quemadmodum lances grauitatem. Hæc autem ipse fabricatus est homo, ex naturæ instrumentis ac iudicio impulsus, quibus nullum ultra iudicium nec antiquius habemus, neque præclarius. Hinc igitur incipiendum est. Dicit enim rursus ipsa mens quod possibile nobis est naturali iudicio credere, siue non credere: ipsum autem iudicium per aliud aliquid iudicare, possibile non est. Qui fiet enim ut id, quo iudicantur reliqua omnia, ab alio quoquam iudicetur? Credere uis oculis clare cernentibus, & linguæ gustanti, hoc quidem esse malum, hoc uero ficum, an non credere? Concedam, quod uoles facere in nobis, si quidem studes mecum disputare. Quod si non credis, discedam abs te, uelut ab eo, qui preter naturam affectus est, Ponamus primum te non credere, neque sperare futurum, ut quicquam ex me discas. Hoc enim modo cœperam dicere. Ponamus rursus te credere, ac spem esse, futurum, ut ex me discas iudicare. Cæterum ego sentio iudicare, sensibilia quidem ex ijs, quæ euidenter apparent sensibus, intelligibilia uero ex ijs, quæ dilucide intelliguntur. Quoniam autem ex naturæ iudicio artes omnes parant & instrumenta & iudicandi secundum artem organa, per quæ alia quidem ipsi sibi componunt, alia rursus ab alijs composita iudicant, & ego docebo in uniuersum & instrumenta, & iudicia, tum ea, per quæ tibi parabis ueros sermones, tum ea, per quæ iudicabis ab alijs dictos. Sic enim habes totum. Etenim, siquid ex sese euidenter apparet sensibus aut intellectui, ad id nihil opus est inquisitione. Quod si nihil est tale, necesse est, ut accedat cognitio, quæ aliunde paratur. At ego polliceor me traditurum tibi quædam, quæ respondeant instrumentis, quæ fiunt ab arte, ex quibus inuenies, quod quæris: alia uero respondentia iudicijs, ex quibus iudicabis, an uere tibi uidearis inuenisse. Hæc autem ubi didiceris, multis exemplis exercebo te, ut & celeriter & exacte inuenias iudicesque, quod quæris, ut posthac nec ullo libro futurum sit opus ad inuentionem ueri, nec alia doctrina. Mox & alijs dicentibus aliquid eorum, quæ cupis inuenire, facile poteris cognoscere. Etenim, qui cognouit rectam uiam rectam esse, non eget alia doctrina ad redarguendum eos, qui aberrant. Ita, qui rectam demonstrationis uiam perdidicerit, protinus cum hac nouit uias erroneas. Fauorinus autem mihi uidetur simile quiddam facere, quasi siquis dicat te cæcum esse, nihilo minus tamen iudicare posse, uter nostrum sit sordidior aut candidior, haud reputans secum, quod ei, qui talia sit iudicaturus, opus est adesse uisum. Atqui nihil refert, quod ad iudicandum attinet, utrum omnino uisu careas, an, cum habeas, illi non credas.
- C** Ad eundem autem modum, quod id, quo iudicamus, est tale quiddam, quodque, quæ huic paria sunt, sunt & inter se paria, quemadmodum asinis nemo permetteret iudicare, quoniam omnino mente carent, ita nec hominibus, si ne hi quidem mentem habeant, cui credi possit. Nihil enim interest, quod attinet ad incertitudinem eorum, quæ iudicanda sunt, an omnino nullum habeas iudicium, an non credas illi. Ridiculus est igitur Fauorinus, permittens iudicium discipulis, cum organis iudicandi detrahat fidem. Etenim, si nihil est euidenter intellectui, aut certum ex sese, perijt omne rerum iudicium. Contra, si est quidem, uelut oculus in corpore, sic intellectus in animo, non tamen omnibus pariter acutus, consentaneum est, ut, quemadmodum qui cernit acutius, adducit ad id, quod uidetur, eum, cui uisus est hebetior, ita, quibus contigit in rebus intelligibilibus perspicere clare, quod offertur intellectui, adducant ad contemplationem eandem, maxime cæcutientem. Atque hoc est præceptoris officium, ut inquit Plato, & ego assentior. Et his de rebus scripsimus copiosius in tractatione demonstrationis, quod doctrina talis quædam sit euidenter ad intelligentiam. Scripsimus autem & illud, quomodo quis exorsus in uno quoque ab elementis ac principijs maxime demonstrare possit, quicquid est demonstrabile: non quemadmodum admirandus ille Fauorinus: qui cum fecerit totum librum, in quo demonstrat ne id quidem comprehendere posse, solem esse, alibi tanquam nobis obliuiosis in utranque disputat partem conceditque esse aliquid, quod certo cognosci possit, cuius iudicium & electionem permittit discipulis.



GALENI DE SUBFIGURATIONE EMPIRICA, INCERTO INTERPRETE.

De Empiricorum nomenclatura.

Cap. I



QUONES empiricæ sectæ cultores cognomē ab Hippocrate ductum renuentes se ab animi affectu denominari maluerunt, quemadmodum & philosophi, quos, quod in singulis hæreant, scepticos Græco nomine appellant. Ergo non sicut cæteri medici Hippocratici, aut etiā Asclepiadei, Praxagorei, Erasistratei, ita & ipsi Acronei ab Acrone primo

f mo

mo empiricæ disciplinæ scriptore, uel à Critone, Philistione, Serapione cognomēta traxere, qui E
Acrone quidē iuniores, reliquis autē Empiricis uetustiores habentur. Atq; hæc quidem quantū ad
cognomē attinet, dicta sint: in Empiricorum uero doctrina summa cautio est, nequis ullo pacto
ab indicatione quidpiam inueniri opinetur. neq; enim, ueluti Rationales medicam artem indica
tione simul & experimento constare putant, sed experientiæ totam inniti, quam ex eorum obser
uatione, quæ sæpe simili modo obtigere, conflare affirmant. Hanc ego tibi empiricæ sectæ disci
plinam, quæ qualisue sit, si modo mentem adhibueris, sub compendio clarissime colligam. Tu ue
ro, quæ deinceps dicturus sum, tanquam ab Empirico dicta suscipies.

Quotuplici experientia Empirici medici nitantur.

Cap. 2.

Medicam artem non ab indicatione, sed ab experientia tantum constitutam asserimus. Ex
perientiam uero appellamus, quam à se quispiam intuitu ipsoprehenderit, sicut indica
tionem, quam rationis discursu assecutus fuerit. ut enim nos sensus ad experientiam, ita ratio ad
indicationem dogmaticos ducit. At cognitio, quæ ex intuitu habetur, uel fortuita est, uel consul
ta. Fortuita appello, quæ sine humano consilio uel casu, uel natura eueniunt. casu, ut si quis, cui oc
cipitium dolore afficiatur, deciderit, atq; inde uena recta frontis incisa, sanguineq; effuso iuuetur. F
Natura, ut si febricitanti sanguis per nares, effluerit, statimq; desinat febris. Consulta ab intuitu
cognitio est, ut si quis in febre perditē sitiens, ad bibendam aquam, uel mala granata edenda coa
ctus, febrem euaserit: uel in monte aliquis à serpente ictus, herbam quæcunq; sibi fuerit oblata,
uulneri adhibere placuerit, sanitatemq; inde recuperauerit. Sed imitatione experientia compa
ratur, ubi quispiam imitatur, quod semel, aut bis, aut etiam frequenter effectum conspexerit, non
ita tamen frequenter ut iam semper ex alio consequatur. sufficit enim uel plerunque uel utrouis
modo, uel raro contingere. Est alia quoq; *τριβικη*, quasi iam trita experientia, quam ab experi
mentali disciplina ductam soli artifices usu exercent. Experimentalem uero disciplinam uoca
mus eorum habitum, quæ ita frequenter apparuerunt, ut iam inde theoremata sint comparata,
perceperimusq; , nunquid illa semper, aut plerunq; , aut utrouis modo, aut raro euenire soleant
tot enim id est quatuor sunt theorematum differentia. propterea et theoremata uocamus habitum
rei, quam sæpe uiderimus cum euentus oppositi distinctione, ut, si sit aliquid, quod semper contin
git, sciamus eius oppositum nunquam euenire, quod uero plerunque accidit, illius oppositum,
aliquando quidem, sed raro contingere: At eius quod utrouis modo est, æqualem esse oppositi
euentum, sicut illius, quod raro accidit, contrarium plerunque apparere: Quæ uero huiusmo
di distinctionibus perspecta non habuerimus, eorum notitiam confusam imperfectamq; haberi, G
quæ nullo pacto experimentalis disciplinæ pars appellanda sit. Atq; hanc Menodotus expe
rientiam particularem uocauit, tanquam ex alijs experientijs singularibus non conflata, pro
pterea primam & simplicissimam esse. Nam, sicut ex plurimis experimentis tota conflatur ars, ita
singula experimenta ex multis experientijs conficiuntur. quas, quot esse oporteat, uelle determi
nare, incidere est in ambiguam rationem, quam quidam Soriticam uocant: de qua in libro de me
dicinali experientia copiose tractauimus, cum superius experientiam ex *ἀποψία*, id est proprio
intuitu fieri dixerimus. Quantum ad nomen attinet, apud antiquos *ἀποψία* quidem sæpe legi
mus, *ἀποψία* uero nequaquam. Sed & hic, sicut in alijs multis nomen usurpantes dicimus in
tuitorem proprio intuitu magis operari, quam cognitionem acquirere. quia tamen ex hac intui
tionis operatione cognitio quoque consequitur, placuit Empiricis proprium intuitum cogni
tionem appellare, immo nō cognitionem tantum, sed experientiam quoque nuncupauere. quos
ego nūc imitatus simili modo proprium rei euidentis intuitum, & cognitionem, & experientiam
ex multis intuitionibus comparatam uocabo. Cur uero Empirici observationis nomen cum co
gnitione, & memoria confuderint, non satis cōpertum habeo. Nam Theutas, cum prius dixisset H
partes medicæ artis, ob quas plerunq; finem adipiscimur, per experientiam comparari, quæ ex
proprio intuitu, ex historia & congruo de re simili ad similem transitu generatur, postea experi
entiam diffiniens, quæ à propria intuitionē nihil differt, ita subiungit: Experientia igitur tota rei
euidentis obseruatio appellatur, pro memoria scilicet, & cognitione obseruationis nomine ab
usus, quam & conseruationem uocamus, quæ est actus conseruatoris. neutra uero appellatio se
cundum rectam loquendi consuetudinem ad memoriam & cognitionem accommodari potest.
At *τριβικη*, id est exercitationem non male actionem ab ipsa experientia ductam nominarunt, &
τριβικη, id est exercitatum, qui huiusmodi actionem frequentant, sicut & *ἐμπειρον*, id est exper
tum, qui *ἐμπειρίας*, id est experientiæ particeps est. Empirici uero nomē ad artis sectæq; suæ inuen
tores transferre maluerunt. nam & Empiricam non solum unius theorematis cognitionem, sed to
tam quoq; medicam artem nuncupauerunt: quam ex *ἀποψία*, id est propria intuitionē, ex histo
ria, & congruo de re simili ad similem transitu constare asserimus, historiam quidem propriæ in
tuitiois enarrationem uocantes, transitum uero de re simili ad similem iter ad exercitationē, sum
pta, scilicet similitudine ab ijs, quæ iam per experientiam comperta sunt.

A *An rei similis ad similem transitus, artis medicæ pars dicatur. Cap. 3.*
Quæritur autem, nunquid, quemadmodum existimauit Serapion, tertia pars medicæ artis sit de re simili ad similem transitus, quod aperte negauit Menodotus, sed usui tantum accommodari uoluit. constat autem non idem esse uti, & ut parte uti. Cassius Pyrrhonius illum ab usu quoq; abdicauit, integrumq; de hac ipsa re uolumẽ conscripsit. Optime uero omnium Theutas de re simili ad similem transitum iter ad exercitationem esse iudicauit. Sicut alij instrumenti potius rationem habere uoluerunt. Nec peius fortasse historiam & obseruationem instrumenta magis, quam medicinæ partes uocabimus, ideo recte, ut mihi uidetur, Theutas ita de illis prodidit. Partes medicinæ, ob quas finem adipiscimur, per experientiam nobis accedunt. fit autem experientia ex propria intuitione, historia, & congruo de re simili ad similem transitu. ab experientia enim medicinæ partes deriuari affirmat: quæ cum omnes inter se differant, in hoc uno tamen cõueniunt, quod omnes communi nomine memoriæ appellantur: propterea rectius aliquis experientiam dicet esse memoriã eorum, quæ sæpe & eodem modo perspecta sunt. Quod si quis pro memoriã obseruationem posuerit, erit experientia obseruatio eorum, quæ sæpe eodem modo perspecta sunt. At, si obseruatio operationem significet, ut loquendi usus obtinuisse uidetur, memoria uero sit impressio in anima quiescens, possumus ambas comprehendendo dicere, experientiam esse obseruationem & memoriã eorum, quæ sæpe eodem modo perspecta sunt: forteq; præstiterit solam ponere memoriã, cum sub illa obseruatio contineatur. neq; enim memorari possumus ea, quæ sæpe eodem modo perspecta sunt, nisi prius obseruauerimus.

De communibus partibus medicinæ. Cap. 4.

Hactenus, quantum compendio licet, de experientiæ diffinitione tractauimus. Theutas autem totam medicinam in tres partes diuisit, indicatoriam, curatoriam, et salubrem: has uero uniuersas acquiri per propriam intuitionem, historiam, & congruum de re simili ad similem transitum. propterea, qui hæc tria proxima medicinæ partes esse uoluerant, non absolute partes, sed cum additione partes constitutiuas appellauere, ut priora illa partes finales, partium scilicet genus in duas primas differentias dissecando finales, & constitutiuas: si quis tamen nominibus abuti noluerit, non has constitutiuas appellabit partes, sed quasdam medicorum operationes: ille uero animi habitus, quo medicus uel indicare, uel curare, uel sanitatem custodire potest, merito pars medicinæ uocabitur. Abutantur igitur nominibus, qui uoluerint: nos in partes tres medicinam secabimus, indicatiuam, curatiuam, salubrem. Porro indicatiuam in dignotionem præsentium, & futurorum prænotationem, sicut curatiuam in chirurgiam, uictus rationem, & pharmaciã. Salubrem uero quidam indiuisam seruarunt, quidam in speciem generi cognominem, in salubrem, inquam, & in eueticam, id est boni habitus effectricem. alij addiderunt præseruatiuam, resumptiuam, & gero comicam, id est senum custoditricem. Sunt, qui ex rationis diuisione partes medicinæ uenati sint. cū enim sicut Herophilus uoluit, medicinã sit scientia sanorum, ægrorũ, & neutrorũ, tria ex cogitauerũt, quibus singula istorũ conueniũt, corpora scilicet signa & causas. nã sicuti corpora, ita signa, & causas congrue sana, egra, & neutra nũcupamus. Licebit igitur secundum hanc rationis sectionem, empiricã quoq; disciplinã in suas partes diuidere: non prohibebo tamen, si quis & aliter diuidendam putarit, dum modo nullum artis membrum omittatur. propterea & Theutas in principio libri de partibus, nihil obstat, inquit, si medicinæ partes in indicatiuam, curatiuam, & salubrem sectæ, in alia quoq; membra secentur. quo fit, ut minime mirũ sit, si empiricæ artis alij duas partes, alij tres, quidam quatuor, nonnulli quinque posuerint. fortasse enim eandem omnes rei rationem intuẽtur, sed, ut diuersa concipiunt, ita & diuersa explicare necesse est. quæ uero sit rationis diuisio, paulo inferius declarabitur.

De constitutione artis Empiricorum. Cap. 5.

Constitutiuæ igitur medicinæ partes, quæ omnium utilissimæ sunt, clarius ita pernoscentur. Medicus, qui ab obseruatione artem effecit, seipsum Empiricum, suam facultatem Empiricã nuncupauit: primisq; temporibus, ut credi par est, noxia pariter & innoxia, similiq; modo utilia & superuacua obseruare cœperunt. post longo rerum usu multis multa obseruantibus compertum est plurima inutiliter fuisse obseruata. propterea, sicut in principio propria rerum intuitio, ita nunc historica commodissima est. Nos enim historia docet iam deprehensum esse colores in multis quidem morbis superuacaneos, in quibusdam uero non parum interesse, nam lippientibus cœruleus, uiridis, nigerq; color confert, albus & splendidus summe aduersatur, reliqui inter utrunque ambigunt. Eodem modo rubeus color sanguinem expuentibus nocet, & ad ceteros morbos superfluus omnino compertus est: sicut & mensa eburneã sit, an ligneã, seu phiala aureã, uel argentea, uel uitrea. nihil enim horum salubre magis, quam insalubre appellatur, sed penitus superuacuum non ita tamen odorem neutro modo se habere ad sanitatem uel ægritudinem dixeris. neq; enim parum refert appetitiuæ digestiuæq; facultati, foetidã, an bene olentia offerantur: omninoq; capiti nocent, quæcũq; odoratiora sunt, ueluti cupressus, populus, buxus, nux, præcipue, quæ adhuc uiuent: ideo nec lectos, aut fores, aut uasa ex his fieri probamus. fugien-

llagogici.

f 2 di

di enim omnes odores sunt, qui uel caput repleant, uel appetitum euertant. cum natura nos doceat utilia eligenda esse, noxia uero euitanda. Ergo his ita se habentibus, necesse est, ut medicus salubria, infalubria, neutraque pernoscat, nec causas tantum tales esse, sed & corpora, & signa. nihil autem refert, seu pernoscere, seu scire dicamus. sicut neque artificem, aut doctorem: artem uel doctrinam addiscere. parum etiam interest, si inflammationem, exempli gratia, egritudinem uel affectum appellaueris. Symptoma tamen ab egritudine distinguendum est, nam symptoma simplex affectus est, & non ex alijs conflata congeries. sic enim lateris dolor symptoma uocatur, tussisque eodem modo, et sputum seu flauum, seu liuidum, siue cruentum fuerit, item difficultas anhelitus, et calor preter naturam. quod uero ex omnibus his conficitur egritudo appellatur, quae affectus quoque, & ualētudo, & morbus, si libet, uocari potest: nominibus tamen utemur, quoad eius fieri poterit, apud Latinos quam maxime consuetis, sin minus, his saltem de quibus inter nos inuicem conueniat.

De Symptomatum concursu. Cap. 6.

Quantum igitur ad praesentem institutionem attinet, symptoma satis idonee nuncupabimus simplex aliquod incommodum, quod humano corpori praeter naturam accesserit, sicut calorem, tumorem, inflammationem, difficultatem anhelitus, pulsus asperitatem, dolorem, tussim: affectum uero, uel egritudinem concursum, qui ex his simul conficitur. Periti enim Empirici non quemcumque symptomatum acerrimum morbum nominauerunt, sed concursum tantum eorum, quae ex longa obseruatione ita simul conuenire comperta sunt, ut pariter incipiant, augeantur, uigeant, declinent, & recedant: quem concursum compendij, & luciditatis gratia uno tantum nomine explicuere, quandoque ab affecto loco nuncupationem ducentes, ut pleuritim, peripneumoniam: quandoque ab aliquo symptomate, ut inflammationem, furorem: nonnunquam a similitudine, ut elephantem, cancrum: quandoque ab ipsomet concursu, ut oedema, scyrrhum. Symptomatum igitur, quae simul incipiunt, augentur, uigent, & desinunt, cognata uocari possunt: quae uero plerumque consequuntur, affinia. Quod si eadem in concursu, tanquam signa, considerentur, quaedam eorum diagnostica, quasi praesentium declaratoria, uocantur: quaedam, quod futura praenuncient, Prognostica nuncupantur: quaedam, quod curationem indicent, non male indicatoria dicentur. Omnes autem concursus ab obseruatione prodire. obseruatio enim memoriam, memoria experientiam peperit, a qua proxime ars emanat, dum meminimus, quid cum quo, quid ante quod, quid post quod obseruauimus: atque id quidem uel semper, uel plerumque, uel utriusque modo, uel raro: semper, ut uulnerato corde mortem sequi: plerumque, ut scammonia uentrem purgari: utriusque modo, ut percussa superiori cerebri membrana interire hominem: raro, ut uulnerata cerebri substantia salutem comparari. Atque ita ex obseruatione & memoria constituta arte necessarium est proprium a communi distinguere, quam nimis ambitiose quidam Empiricorum distinctionem, quidam determinationem appellandam esse contendunt. ego enim, siue hoc, siue illo modo dixeris, parum interesse arbitror, dummodo per euidentes notiones proprium a communi separetur. quidam tamen ita rem praescribunt, ut distinctionis uocabulum ad nominum differentias, determinationem autem ad res ipsas magis conuenire opinentur. sed nomina, ut recte Plato consulebat, spernenda sunt, rationum uero soliditas inquirenda. Proprium igitur a communi ita distinguetur: In affectuum quidem dignotione, ut si cum febris acuta difficultas anhelitus, tussis, & coloratum sputum apparet, & percunctetur a nobis aliquis, cuius nam morbi sit iste concursus, respondebimus pleuritidis quidem & peripneumoniae communem esse, neutrius tamen proprium. Quod si addatur dolor lateris pungitiuus, pulsusque asperitas cum tensione, hunc morbum plane pleuritidem esse affirmabimus. at, si non dolente latere, nec pulsu duro existente, impotentia spirandi adsit, nisi ceruix erigatur, sitque omnino tanta anhelandi angustia, ut prope suffocationem accedat, talis concursus peripneumonia uocabitur. ita ergo in affectuum dignotione commune a proprio distinguetur. In praenotione uero hoc modo, Sint nares acutae, caui oculi, col-

lapso tempora, atque interroget aliquis, quidnam concursus portendat: dicemus in processu quidem egritudinis mediocre malum portendere, in principio uero letum minari. Atque ista quidem a tempore egritudinum prima distinctio est. ab his autem, quae praecessere consideratur, an aeger uentris fluxu laborauerit, uel medicamento purgatus fuerit, siue uigilijs, fame, aut alio euacuationis genere attritus. In signis uero ad curationem attinentibus commune a proprio separetur. Si queratur, an plethorico uena secanda sit: respondetur enim non cuiusque secandam esse, sed illi, cui plethoricus concursus acciderit, uel qui sine hoc concursu robustus sit adolescens, atque ne hos quidem omnes neque enim si pleuriticus concursus in sene aut infante fuerit, uena secanda est, aut in Scythia degat aeger instante hyeme frigidissima, uel sub ardentissimo caelo in summo aestatis feruore, aut certe syncopam pati assueuerit. nam nemini istorum uenam secandam ducimus: non haec tamen sufficiunt. Sunt enim aliae quoque determinationes, ut, si ad claudum dolor incubuerit, potius uenam secamus: si ad hypochondrium declinauerit, uentrem purgandum eligimus.

Quid

A *Quid differant Empiricorum, & Dogmaticorum rationes. Cap. 7.*
Talis igitur rei determinatio est, quam describentes dicunt esse orationem propria à commu-
 nibus distinguentem. Quidam tamen, ut prædiximus, non determinationem, sed distin-
 ctionem appellare maluerunt. nos autem siue determinatio, siue distinctio uocetur, nihil inter-
 esse dicemus, dummodo concursuum dogmaticorum & empiricorum differentia seruetur.
 Empirici enim euidentibus, dogmatici uero ratione magis nituntur. Pari modo dogmatica ra-
 tio hoc ab Empirica differt, quod hæc euidentium rerum, illa occultarum est: quæ ut nomine
 quoque distinguerentur, rationem quidem empiricam epilogisimum, dogmaticam uero analogis-
 mum uocitauerunt. Quin & breuissimas rerum declarationes, non diffinitiones, sed descriptio-
 nes empirici appellauerunt: cum tamen nihil prohiberet rei rationem, quæ ex euidentibus con-
 sistit, ita diffinitionem uocari, sicut & dogmatici uocant eam, quæ ex occultis colligitur. Atque hæc
 quidem est inter utrosque de nominibus discrepantia, quam & modeste, & arroganter tractari li-
 cet: arrogantia tamen plerumque utuntur empirici.

Quibus Empirici, quibus Dogmatici fidem habent. Cap. 8.
B **I**n rebus autem dogmatici & empirici differunt, quemadmodum in principio quoque decla-
 rauimus, quod empirici his tantum credant, quæ uel sensui pateant, uel memoriæ per sensum
 mandata sint. Dogmatici uero præter hæc, illis quoque, quæ ex naturali rerum consecutione per
 rationem acquiri solent.

De Empiricorum demonstratione. Cap. 9.
Sed & empiricus præter descriptiones, & determinationes, quæ à sensibus sumuntur, causas
 etiam reddit, & demonstrationibus nititur, quas à sensibus mutuauit. Si enim, exempli gratia,
 interrogetur, quare crus cum uulnere luxatum non reparatur, quoniam, inquit, conuulsionem in
 de sequi obseruatum est. hoc enim maxime cauent, ne aliquid unquam ex rationali consecutio-
 ne, sed ex memoria, & euidenti obseruatione semper affirmet. Atque hoc pacto Empiricus ar-
 tem suam tum conficit tum docet, in quo maxime à dogmatico differt, tum quia plurima indeter-
 minate agit, tum quia plus æquo confidit historiæ, quam ego non uitupero. cum enim unius ho-
 minis uita ad omnium inuentionem sufficere nequeat, longi temporis obseruationes historia col-
 ligit, ut eius beneficio tãquam ex multis tot seculorum hominibus unus efficiatur eruditissimus.
 Si igitur ita singula quæque memoriæ mandata forent, ut cum suis distinctionibus clare ab Empi-
 rico percipi possent, nihil ultra quærendum esset, quod ad ueritatem artis referret. Sed, quoniam,
C qui scripserunt partim confuso experimento nimis propense crediderunt, partim etiam non per-
 spexere, quæ docuerunt, partim dum in rationales demonstrationes incidere uererentur, rudes &
 procul à ueritate aberrantes deprehensi sunt, ideo cogimur non ita facile cuiuslibet historiæ fidem
 adhibere, nisi prius experimento probetur, postea ad usum accommodetur. quod quidem dog-
 maticis non contingit, quos Menodotus per contemptum Tribonicos uocat. Antiqui enim Tri-
 bonem appellauerunt, qui in aliqua facultate longo se usu exercuerit, ut in ea iam perfectus uide-
 ri possit. Menodotus igitur deridens, Tribonicos appellat Dogmaticos, quasi qui Tribones ap-
 pellari non mereantur, cum experientiam non credant, sed rebus occultis ignotisque studeant, & hi-
 storiam contemnant, quam ne legerint quidem. Quoniam uero & hic de historia longæ ambag-
 es perferuntur, nos de illa quoque summam tractabimus.

De iudicanda & comprobanda historia. Cap. 10.
Historiam igitur quidam esse uoluerunt enunciationem eorum, quæ uisu percepta sunt: alij
 enunciationem eorum, quæ euidenter appareant: alij enunciationem propriam intuitionis.
 ceterum omnes istæ orationes uerbo tenus inter se discrepant, re prorsus nihil differentes, quas dia-
 lectici æquipollentes appellant, ubi sub diuersis dictioibus idem uidelicet profertur. Illas uero ora-
D tiones ab his differre dicemus, in quibus aliquid adijcitur, quod sensum immutet, qualis exempli
 gratia huiusmodi est: Historia est oratio eorum, quæ uisu perspecta sunt, aut sicut perspecta. Ex ad-
 ditione efficitur, ut quædam historia possit esse falsa, cum ex nulla priorum descriptionum quic-
 quam tale sequatur: atque ex eadem additione illud quoque continget, ut historiæ duplex iudicium
 futurum sit, alterum, quo perpenditur, an quædam uere appellanda sit historia: alterum (si uere ita
 esse concesserimus) an etiam uera debeat appellari. Hoc tamen nomen accipiat unusquisque, quæ
 admodum sibi libuerit: nos potius doceamus, quomodo historia sit iudicanda, ut postea recte ad
 usum deduci possit: quod idem est, ac si dixerimus, quomodo ueritatem & falsitatem eorum, quæ
 scripta sunt, distinguere oporteat, & quomodo discernendum, fieri an non fieri potuerint. est
 enim hæc quoque non inutilis differentia, sicut Menodotus asserit. Huic igitur rei toto animo aduer-
 tas obsecro, sinens, quicquid libris mandatum est, historiam appellari. id enim ab omnibus ferè
 medicis usurpatur. Primum ueræ historiæ iudicatorium secundum plerosque Empiricos est propria
 intuitio iudicantis. nam, cum in aliquo libro scriptum quidpiam inuenerimus, quod nos aliàs ita
 esse proprio intuitu perspeximus ueram esse fatemur historiam. Hoc tamen iudicatorium discipli-
 næ inutile est. neque enim ea nos ex libro discere oportet, quæ antea proprio intuitu cognouerimus.
 Sed concordantia optimè est historiæ iudicatorium. finge enim à me macerem nunquam expertum
 Isagogici. f 3 esse,

esse, qui quidē arboris cortex est ab Arabia delatus. hūc oēs, quicunq; de medica materia scripse- **E**
 runt, aliu constipare affirmant: nunquid illis credendū erit, uel non credendū? ego quidē creden-
 dum assero, cum oēs ita esse conueniāt. talis. n. conuenientia in sensibilib. omnino admittēda est,
 nā conuenientia, quæ de occultis sunt, raro tantā habent certitudinē, ut de illis idem oēs prorsus
 cōsentiant. Quod si etiā concesserimus id nonnunq; fieri posse, talem tamē conuenientiā non ad-
 mittet Empiricus. Concordiā igit de reb. sensibilibus certā & fideles in uita sunt. Nos enim, licet
 nunq; in Cretam, Siciliam, aut Sardinia nauigauerimus, eas tñ esse insulas credimus, qm̄ omnes, q;
 eas proprio intuitu cōspexere, ita esse inter se conueniūt. Ergo, cū pro cōperto habeamus de ijs,
 quæ sensu deprehendi possunt, ubi uera sint, cōuenire omnes, quicunq; res historiæ cōmendarūt,
 propterea credimus à macere uentrē listi. Eodē pacto licet nos rha pontici uires proprio intui-
 tu nunquā experti simus, historiæ tamē de eo tradite, q; eiectionibus sanguinis cōferat, fidem ad-
 hibemus. Est alia quoq; propositio huic ualde cognata, non quidē epilogistica, sed analogistica
 potius & dogmatica, an credendū scribentiū concordia sit, ubi oēs conueniunt, non q; ipsi pro-
 prio intuitu rem conspexerint, sed q; singulis eorū probabilis admodum uisa fuerit. Sunt enim ali-
 qui non dogmatici tantum, sed empirici quoq;, qui credendum esse affirmauerint. nam sine ulla
 ambiguitate cōcordia manifestū signū est ueritatis. ceterum id à sequacibus epilogismi, qui est ra- **F**
 tio eorum, quæ sensui patent, non ita facile admittitur. Conuenientiā enim historiæ de his tantum
 esse uolunt, quæ euidenter apparēt. Ergo Empiricū uerę historiæ iudicatoriū est conuenientia in-
 ter eos, qui singula quæq; proprio intuitu obseruauerunt. At cōcordia, quæ à rei natura producitur,
 dogmatica est. Sed præter hæc habetur aliud quoq; uetæ historiæ iudicatoriū: mores, in quā, & e-
 ruditiō auctoris, quæ ab alijs eius monumentis colligi potest. Nam, si, exēpli gratia, Hippocratē,
 Andreamq; recenseas, illū peritissimum studiosissimumq; ueritatis inuenies, hunc rudem, teme-
 rarium, prorsusq; ab Hippocratis grauitate alienum. Deniq; alio quoq; instrumēto historia iudi-
 catur, ubi, quæ traduntur, his fuerint similia, quæ prius proprio intuitu cognouerimus. nanq;, ubi,
 exēpli gratia, sciuerimus macerem, & rha ponticum adstringēdi uires habere, si alia simili modo
 tradantur adstringentia, facile credemus uentrem compescere, & sanguinis fluxum sistere.

Quot modis rei similis ad similem transitus fiat.

Cap. 11.

MEnodotus tamen negauit transitum de re simili ad similem esse historiæ iudicarium, sed
 eius, quod fieri potest, si uero secum *πρὸς τὸν αἰσθητικόν*, id est usum, & exercitationem assumpserit, tū-
 demum historiā quoque iudicare. Sed de his paulo inferius agetur. Transitus igitur de re simili
 ad similem si in seipso consideretur, est iter ad experimentum. Iudicarium uero possibilitatis **G**
 ad historiā attinentis, sicut & historia, duplex est. Porro rationalis transitus ab Empirico dif-
 fert, quod rationalis ab indicantis rei natura innotescat, Empiricus uero ea potius imitatur, quæ
 sensu præcognita fuerint, non quidem q; probabile uideatur simile à simili generari, aut agere, aut
 pati. neq; enim cuiuspiam istorum gratia transitum faciunt, sed q; experimēto cognouerint ita se
 inuicem habere, quæ sunt similia. De simili autem ad simile transitur, uel in membris, ut de lacer-
 to ad femur, de ulna ad tibiam, de manu ad pedem: uel in morbis, ut de fluore alui ad intestino-
 rum difficultatem: uel in remedijs, ut de citonio ad mespilum. quæ omnia prius experimento fir-
 manda sunt, q; doctrinæ certitudinem faciant. Est quoq; empiricæ artis quādoq; non incongrue
 de opposito transire ad oppositum, ubi. s. similia uniuersa in uanum tentata fuerint. quod quidē à
 dogmatico omnino alienum est. Transitus ergo de simili ad simile, siue trahatur siue nō trahatur
 ab historia, *πρὸς τὸν αἰσθητικόν*, id est exercitatum experientiam perficit, neq; propterea pollicetur, quod ex-
 quisitissime uerum est, sed, quatenus fieri potest, inuenire proficitur, quod probatorum hominū
 historiæ maxime congruat. cui quidem etiam ante experientiam credimus, non tñ transitioni de
 simili ad simile, nisi prius experimento, & usu comperta fuerit. non parum autē interest, quomo-
 do magis, aut minus aliquid futurum speremus, singula enim ex ipsa similitudine perpendimus, **H**
 quæ in rebus longe diuersa obseruatur. Nam, quod figura, colore, mollitie, duritie simile est, non
 propterea similes exercet actiones: at, quæ odore gustūue assimilantur, in his iam non nihil habe-
 mus, à quo similes functiones non desperemus, præsertim ubi simul odor, & gustus conuenierint.
 Quod si postea substantia quoq;, figura, & color accesserit, spes prosperi euentus adhuc magis au-
 gebitur. Porro, quæ gustu similia iudicamus, non statim ab uno tantū sapore similitudo æstiman-
 da est, sicut ab acore, adstrictione, amaritudine, dulcedine, austeritate, acerbitate, faldedine, sed om-
 nem singulorum uim exacte spectare oportet. Aloe enim & aris squamma utraq; adstringit qui-
 dem, sed absolum medicamento sumq; reddit saporem, ideo neutra malo citonio similis, propte-
 rea, neq; edendo est. Non est igitur à malo citonio, uel mespilo ad illa transeundum, neq; in urinq;
 intestinorumq; difficultatibus talia exhibere oportet. ubi uero ulcus ad cicatricem ducendum sit,
 tunc ad omnia, quæ adstringendi uim habent, etiamsi uirosa fuerint, tuto transire possumus. Ex-
 perimento enim compertum est multa huiuscemodi uniendis ulceribus recte accomodari. In
 difficultatibus autem intestinorū melius ab edulijis ad edulia transimus. deinde, si ad ea, quæ eden-
 do non sunt, trāsituri simus, eligere oportet, quæ cum adstrictione nullam aliam ualidiorem qua-
 litatem annexam habeant, præsertim amaritudinē, uel acorem. Huiusmodi enim qualitates om-
 nia

Ania ulcera irritare obseruata sunt, etiam si cum adstringēdi facultate iungantur. At, quoniam adstrictionis ueluti differentia quaedam sunt austeritas & acerbitas, (adstrictoria enim qualitas in acerbis intenditur, sicut in austeris remittitur,) ideo, si de hac qualitate ad illam transitū facies, maiorem inde futuri euentus spem recte concipies. nam si idem exquisite fuerit affectus, in quo obseruatum sit citonium, uel aliquid ita adstringentium profuisse, ad id, quod moderate adstringit, quale austerum est, tuto transitur. Si uero acerba foelicius expertus fueris, rectius ad acerba permutaberis. Patet igitur, quo modo euentus rei, quę fieri potest, in similitum transitu spes æqualis non sit, sed ea regula spes mensuranda est, qua similitudo maior, uel minor cognoscitur. Quod uero à probatissimo uiro ad alui fluorem, exempli gratia, laudabitur, id eis per quā simile uideri poterit, quæ experimento deprehensa sunt, ut & ante exercitatum experientiam aliquis illi fortasse tuto confidat. At, quod neq; historia, neq; similitudo probauerit, illi merito diffidendum est. Quod autem de medicamentis diximus, idem omnino & de affectibus, & de membris iudicare oportebit. In transitu enim de affectu ad affectum, uel de membro ad membrum, eodem modo spes augenda uel minuenda est, prout similitudo alterius ad alterum maior, uel minor erit.

Quibus historijs maior fides adhibenda, ac de quinque historijs, quibus uiperas Elephantia= si oppressis succurrere creditum est. Cap. 12.

B Quantum uero ad historiae iudicium attinet, maioris & minoris ratio tanti refert, ut huic quidem planè iam fides adhibenda sit, illud uix tanquam probabile admittendum. Quod enim à quamplurimis probatissimis uiris consone proditum fuerit, postea nō raro à nobis ita esse, comperit, ac præterea uerisimile sit, neq; discrepans ab ijs, quæ experimento cognouerimus, id profecto est, cui proculdubio credere non minus, ac experimēto, debeamus. At illud minus fore sperabimus, quod probatissimi quidem uiri quamplurimi affirmauerūt, nunquam tamen à nobis uisum, neq; adeo uerisimile fuerit. Multo uero adhuc minus illi credendum, quod pauci admodum asseruerint, quodq; uix semel aut iterum uisum fuerit. Sanè illud cōmodissimum exemplum est, quod nunc mihi dicendum succurrit. Erat apud nos in Asia in pago quodam elephantiasii uir laborans, qui primo quidē reliquis conuiuiebat, ac cū familiaribus uersabatur, ubi uero nonnulli ex consuetudine contagio maculari cœperunt, ipseq; iam foetore, & horribili specie detestandus esset, in edito loco prope pagum iuxta aquæ riuulum Pagani tabernaculū agro habitandum struxere, cui deinceps diarium alimentum subministrarent. proxima æstate circa Canis ortum colonis uicinam metentibus segetem minister odorati uini lagenam, quam attulerat, prope agri marginem dimittens abiit. Coloni labore functi cum ad pocula accessissent, ac quidam eorum adulescens uinum in craterem funderet, ecce exanimata uipera simul collapsa bibituros non minus abominatione, q̄ metu consternauit: ac ipsi quidem aquam potantes, uinum ægrotanti attulerūt, humane se acturos existimantes, si tantam uiri calamitatem morte redimerent, quam ex eo ueneni haustu planè futuram arbitrabantur. at ille nouo quodam prorsusq; admirando euentu, ab hoc ipso potu sanatus est. excidit enim tota cutis dura & ueluti lapidosa, non secus, ac si cancris locustisue, aut cæteris huiusmodi crustaceis animalibus testam, qua conteguntur, abscideris. Nec dissimile in Mysia Asię non procul à nostro municipio cōtigit. Vir erat prædiues elephantiacus, hic ancillam suam formosam deperibat. contra, illa foedum hominem odio habebat, alijsq; amantibus clandestine miscbatur: cuius doli conscijs duabus ancillis cōtubernalibus utebatur, altera penuriam præerat, altera cellæ uinarię. Accesserat æger inde sibi promissa salutis spe ad quosdam calidarum aquarum fontes, ubi multa uiperarum uis ob squalorē ariditatemq; loci scatebat. In uini igitur lagenam parum diligenter seruatum uipera irrepit, quam cum suffocatam deprehendisset ancilla, rata fore, ut odiosus dominus eo ueneno facile interiret, cœnanti alacriter obtulit, euenereq; omnino eadem, quæ paulo supra de pagano retulimus. Atq; hæc quidem duo sunt experientia monumenta, quæ casus attulit. nunc uero tertium adiungā, quod imitatio effecit. Philosopho cuidam multos antea annos hac ipsa ægritudine efflictim laboranti, ut iam illi mors uitæ præferenda uideretur, geminos hosce euentus cum forte recitauissem, idem ipse etiam experiri cogitauit. ad quod obeundum augurio quoq; confirmatus (erat enim augurandi peritus) protinus uinum ita medicatum, quod parari iusserat, intrepide hausit: nec multo inde postea ex elephantiasii ad lepram deuenit. Quartus etiam præter hos omnes uiperarū uenator, dum primis adhuc huius morbi incommodis teneretur, me pro salute consuluit, quem ego admonui, uiperas, quas uenaretur, frustatim incisas, & anguillarum more decoctas esitare. atq; ita per halitū ægritudo discussa est. Alium præterea diuitem uirum non nostratem, sed è media Thracia Pergamū, somnio ita iubente, profectum Æsculapius admonuit, ut medicamētum è uiperis quotidie potaret, atq; exterius, corpus illineret: ac non multo postea transiuit in leprā, deinde hac medicina, quā Deus docuerat, exquisite sanatus est. Tot igitur experimentis commoti, tandem Dei quoq; admonitu cōfirmati, certam spem concepimus sanandi elephantiasim medicina è uiperis cōfecta, quam theriacam appellant, nec minus sale theriaco, quod iam uulgo confici cœpit uiuis uiperis cum quibusdam alijs medicamentis in fictili nouo combustis: Sed & uiperas edendas præcipimus, capitibus, caudisq; earum primo abscissis, deinde in pastillos confectas. non tñ confestim ad hæc remedia proficisci-

mur, sed prius corpus exquisite purgamus. nec raro uenā secamus, si robur & atas tulerint. uere **E** autem id potissime fieri ad plerosq; diuturnos affectus commune est. Tot igitur à nobis enarrata sunt, ut ostenderemus multa casu inueniri, & imitatione confirmari. obtulit enim fortuna, ut non incommoda tantum, sed commoda quoq; ex quibus ars confici posset, conspiceremur.

Quis deberet esse uerus Empiricus, ac quid differant Serapion, Menodotus, Heraclides,

& Theutas Empirici. Cap. 13.

NEc longiori sermone opus habemus ad empiricæ disciplinæ formulam exprimendam, licet longe plura addiderint ij, qui huiusce sectæ principatū usurpauere, atq; ita se habere manifestissime declarabo. Proponatur, ut passim proponi solet, quisnam medicinæ sit finis, aio empiricum, qui propriæ disciplinæ modum exquisite seruauerit, ita responsurum: intelligo, quæcunq; præter naturam corpori humano acciderint, uelle curare, quodq; intelligo, non uerbis, sed actionibus cōprobare. an uero, quod acquirere studeo, integritas uel sanitas appellari debeat, uel acquisitio sanitatis, uel integritatis, uel sanari, uel integritatem adipisci, siue quod secundum naturā est regere & custodire, nihil apud me refert, dummodo, quod polliceor, opere ipso cōfirmem: cætera sophistis facile permitto. neq; enim mihi in muneribus artis occupatissimo tantū ocij superest, ut nugis superuacuis, fabulisq; differendis bonas horas amittam. Talem ego responsionem à **F** uero empirico fore sperauerim. nam, si de fine medicinæ dissensiones conciliare tentauerit, dialecticis speculationibus impingetur, quas euitari oportere affirmat. id autem in eo libello diffusius explicauimus, qui de fine medicinæ inscribitur. Sed nec idē causas ullas indagabit, quod Serapio & Menodotus fecere. artem enim suam nō rationibus, sed operibus comprobabit, omninoq; dialecticā euitabit, sine qua neq; causæ conclusionum, neq; syllogisticæ orationes intelligi possunt. immo & scire dissimulabit, an aliquæ sint dissensiones: spernet etiā rationes diluere, quæ euidentiā impugnare uidentur, haud ignarus sophisticas apparentias ab ipsis quoq; dialecticis non tam facile solui. præterea sermonis multitudinem longitudinemq; aspernabitur, sed pauca & raro loquetur, quemadmodum Pyrrhon Scepticus facere solebat. hic enim desperata ueritatis inuentione, quam diu frustra quaesierat, in singulis hæsitabat, nec amplius agendorū rationem quaerebat, sed euidentiā sectabat, ut, qualis in omnibus uitæ muneribus scepticus, talis in medicina empiricus sit, minime superbus, aut ambitiosus, neq; gloriæ inhians, non compositè ambulans, neq; fucatis gestibus, sed interius exteriusq; totus integer, qualem Timon ait fuisse Pyrrhonem. Non minus autem hunc admirabuntur homines, q̄ Hippocratem, si operibus magnum se in arte præstabit, melius, quam reliqui faciant, luxata emendans, & quæ luxationi parata sunt, in ualidiorem statum permutans, uulnera & fracturas & hulcera, & quæ alij curare non poterant, ipse facile sanās, **G** nec minus, quæ ægro euentura sunt, ante euentum præfatus, & quæ iam euenerint, adfuntue, ita euenisse uel adesse sine præconctatione, aut relatione coram astantibus explicet. His enim officijs Hippocrates omnium posteriorum iudicio Æsculapij gloriam adeptus est, non quidem triplicis sermonis ambages explicans, sicut Serapion, neq; tripodem iactans, ueluti Glaucias, aut decem mille uersuum libros astruens, qui deinde in alios libros dissecarentur: non ille canina iracundia medicos improbe incessit, modo *δριμυλεοντες*, quasi leones acres, modo *δριμυμωβεις*, quasi acres fatuos appellando, tum medicos, tum philosophos omnes, qui ratione niterentur, quod impudentissime fecit Menodotus. Verum, quod in empirica disciplina Menodotus reprehensione non caruerit, quodq; in his, quæ aduersus dogmaticos oblatrauit furiosæ temeritatis sit accusandus, licet tibi ex commentario intelligere, quod contra eius deliramenta in Seuerum conscripsi: nec minus eiusdem furor apparet, ubi Asclepiadi contradicit, asserens se exquisitissime scire omnia Asclepiadis documenta esse falsa, quamuis in eisdem suis commentarijs sexcenties affirmauerit se obscura minime reprehensurum, ueluti quæ tam uera, quam falsa esse possint: putat se tñ Asclepiadem prorsus confecisse, necessitatemq; suis assertionibus inculcat, ubi plurima sunt contin- **H** gentia. At Pyrrhon, quem ipse probat, non erat huiusmodi, sed humanus admodum pacatissimoq; animo sibi constans, nihil interim loquens, nisi ubi occasio postularet: quod olim modestum quendam empiricum fecisse noui, qui operibus, & non uano uerborum ambitu gloriam sibi comparabat. Erat hic quandoq; pollicitus se magnam quandam ægritudinem tum chirurgiā, tum medicamentis curaturum, cumq; iam ad secandum pararetur, interuenit alius furens medicus, qui multa rationum mole ostendere nitetur hominem secari non oportere. tum ille se unico uerbo à sophistæ molestijs explicaturus, Ego interim, inquit, recedo, dum uos deliberatis, utri magis credere oporteat, mihi ne, quem dudum in artis operibus experiēdo cognouistis, an huic, qui uos nuper tot uerbis aggressus est. erit enim uobis libera optio eligendi, qui magis placuerit. ac cum dicto secessit, nec multo postea sophista subsecutus est. illius enim neglectis deliramentis necessarij priorem reuocauerunt, qui operibus artem ostendebat. Nedum enim sophista ille, sed nec Demosthenes quidem omnium facundissimus persuadere posset unquam hominibus, ut corporis sui curam non illis potius committerēt, quorum peritiam ex operibus cognouissent. Attamen aduersus maximum huius artis exornatorem Hippocratem temerarius Serapion tantquam nouus Æsculapius oblatrare ausus est tanta impudentia, ut suos commentarios passim uideas pro-